



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

III. Quid sit proprie ministerium regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

accepit: sed si in imperiali culmine recta fide viuat, ANNO
& vera cordis humilitate præditus, culmen regie CHRISTI
dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis in timore
Deo seruire, quam in timore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget,
ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum, quam metuendum cunctis exhibeat: si subie-
ctis salubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt mi-
sericordiam non derelinquat: si præ omnibus ita se
sanctæ matris ecclesiæ meminerit filium, vt eius pa-
ci atque tranquillitate per vniuersum mundum,
prodesse suum faciat principatum. Magis enim
Christianum regitur ac propagatur imperium,
dum ecclesiastico statui per omnem terram consu-
litur, quam cum in parte quacumque terrarum pro
temporali securitate pugnatur.

III.

Regale ministerium specialiter est, populum
Dei gubernare, & regere cum æquitate & iusti-
tia, & vt pacem & concordiam habeant, stude-
re. Ipse enim primo debet defensor esse ecclesia-
rum & seruorum Dei, viduarum, orphanorum, ce-
terorumque pauperum, nec non & omnium indi-
gentium. Ipsi enim terror & studium huiusce-
modi, in quantum possibile est, esse debet, primo vt
nulla iniustitia fiat: deinde si euenerit, vt nullo mo-
do eam subsistere permittat, nec spem delitescendi
sive audaciam male agendi cuiquam relinquat. Sed
sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam perue-
nerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam
incorrectum aut inultum remanebit, sed iuxta

ANNO
 CHRISTI
 888.

facti qualitatem, erit & modus iustæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad iudicia recta peragenda, vt ipse per se prouideat & perquirat, ne in iudicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod causa, quam iuxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum, sed Dei causa existit, cui pro ministerio, quod suscepit, in die tremendi examinis rationem redditurus est. Et ideo oportet, vt ipse, qui iudex est iudicum, causas pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquiret, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt, & vices eius agere debent in populo, iniuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Plura igitur sunt ex auctoritate sanctorum scripturarum de ministerio regis quæ scribere potuimus: sed ne onerosa glorioso principi nostro hæc admonitio nostra existat, hæc perpauca scripta sufficiant.

IV.

Multi contra Canonum constituta, sic ecclesias, quas ædificauerint, postulant consecrari, vt dotem, quam eidem ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur. Sed & omnia, secundum constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

Toletanum
 Concilium
 III. c. 19. &
 in decr. 10.
 quæst. 1. Sic
 quidam.

V.

Quicumque presbyter per precium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur, quoniam contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere di-

Turonense
 Concilium
 tempore
 Caroli
 cap. 19.

Concil. Tom. 24.

Dddd ij